

mica, quibus partim auctores *relationum publicarum*, ad regios administros missarum, partim ipse optimus *praeses noster*, in naturam mixtionemque harum acidularum sollicite inquisuerunt. Exinde enim aper-tissime constabit, quibusnam cum aliis sui generis acidulis nostrae proxime conueniant, et quaenam porro ab earundem vsu exspectari possint virtutes atque efficacia valetudinis hominum adiumenta.

§. III.

Earundem elementa.

Primo igitur loco exponam ea, quae iam *citati auctores* his super aquis ad regios administros retulerunt. Quantum ego quidem coniectura adsequi possum, videntur quidem clarissimi hi viri vtrunque, quem diximus, fontem seorsim examinasse, coniunctim vero dein explorata binorum exposuisse elementa; quod nullum in his intercessisse discrimen deprehendebant. Haec autem referunt: Ambo fontes, scribentes, media aestate aquam continent admodum frigidam, temperatiorem vero, dum hiems saeuit, adeo, ut etiam ab acriori frigoris vi nunquam consistant. Saporis sunt viuidi (*piquant*), leniterque adstringentis; qui solet esse martialium. Si leuitatis spectetur ratio, cum pluiali aut quacunque alia aqua stillatitia conueniunt. Inspersus his aquis

B 2 gallarum



gallarum puluis colorem producit ex rubello pallide
 violaceum. Ab instillato oleo tartari per deliquium,
 quod chemici vulgo vocant, leuiter turbantur.
 Violarum syrpus adfusus neque violaceum colorem
 absolute conseruat, neque tamen manifesto viridem
 aquis his conciliat colorem: sicut alioquin ab alcalini-
 nis accidere solet. Aquae hae denique destillando
 prorsus in vapores aetiae reliquerunt terram calca-
 ream: quae cum adfuso vitrioli spiritu efferbuit et in
 eodem, sine amaritudinis ad gustum sensu, perfecte
 est soluta. Data autem est optimo *praefidi nostro*
 ante hos duodecim annos earundem harum aquarum
 chemice examinandarum opportunitas: cum, para-
 ria amici cuiusdam Sorauiensis ope, ipsi lagena vi-
 trea, Hirschfeldensibus his acidulis repleta, et optimo
 subere atque superinfusa pice exacte obturata, trans-
 mitteretur. Doluit tantummodo ipse, quod, vtro
 ex fonte binarum istarum scaturiginum hausta sit
 aqua, nesciret. Limpidissima haec ad adspectum
 erat aqua: quam primum vero obturamentum lage-
 nae laxabatur, protinus immensa bullularum aërea-
 rum emergentium copia internis vitri parietibus ad-
 haesit. Idem quoque accidit *φαυόμενος*, dum aquae
 huius portio in vitrum latioris orificii effundebatur.
 Manifestum odorem non edidit. Saporis fuit grate
 acidi, aut potius eius generis, quod a temperatissimo
 atramento scriptorio in gustus sensu oriri solet.

Euanuit

Euanuit vero hic sapor, in fatuum et insulsum conuersus: cum aqua haec per noctem in aperto vasculo seponeretur; tum etiam turbida fieri coepit, multis que flocculis flauis deorsum fluctuantibus abundauit. Post haec cum *reagentibus*, quae chemici vulgo appellant, pericula sunt facta. Syrupi violarum, quem ipse *Praeses noster* curate confecerat, sufficiens copia huic aquae admista primo violaceum produxit colorem: qui vero sensim magis magisque virescebat, et post aliquot horas saturate viridis euadebat. Simulac vero huic misturae aliquot virriolici spiritus instillabantur guttulae, rediit statim pristinus violaceus calor: immo mox rubedinem elegantem contraxit, cum maior dicti spiritus copia adfunderetur. Mercurii, quem sublimatum vulgo dicunt, semiscrupulus, in tenerimum puluerem redactus, et acicularum nostrarum vnciis quinque immisus, atque adhibita agitatione solutus, postea, cum quieti permittetur, primo turbavit misturam, ex qua sensim subsedit in fundo velut coagulum quoddam, ab initio pallide flauescens, pedetentim vero aurantio colore tinctum. Instillatus porro huic aquae liquor alcalinus, cui vulgo olei tartari per deliquum nomen inditur, leuiter tantummodo turbidam reddidit limpiditatem, desidente demum post aliquot horas in vitri fundo leuissima quadam terra albicante, interspersis hinc inde miculis flauescentibus. Ab immisso

B 3

rhei



rhei puluere primo flauus exstitit harum acidularum color, post horae interuallum mox in fuscum mutatus: id, quod sollemniter ab rheo omnibus alcalinis tincturis accidere solet. Ab adfuso denique gallarum, ligni Fernambucini aut Chinchonae decocto leuiter rubore coepit haec aqua, sensim dein profundior et in coeruleum vergens successit rubedo, mutata demum post quatuor horas in nigredinem manifestiorem. Post haec examina supererant adhuc transmissae huius aquae tres librae sive quadraginta octo vnciae. Hae, consueta methodo, destillando in vapores, ad siccitatem usque, actae reliquerunt materiam quandam terrestrem, obscure flavi coloris, ponderisque duorum scrupulorum quatuorque granorum. Diuisa est haec superstitis terrae portio in duas partes: ut adeo quaelibet particula effet duorum supra viginti granorum. Quarum portionum altera, ope ipsius illius aquae, quae antea destillauerat, optime elixa reliquit terrae calcareae remanentis grana vndeциm: ipsi autem aquae inhaeserant soluta salis alcalini mineralis grana octo, et salis communis duo; quae post repetitam aquae euaporationem, quam vulgo dicunt, apparuerunt. Ex istis vero calcareae terrae vnciis, postquam in exiguo crucibulo calcinatae effent, magnetis ope paucillum supra tria grana particularum martialium est extractum. Alteri isti portioni nondum elixae adfusus

fusus est vitrioli spiritus: quocum insigniter effervescit, et nonnihil acidi salis communis spirauit, simulque aquae istius destillatae parca portione remixta limpidum exhibuit liquorem, vix manifesti saporis. Qui liquor, cum denuo in patella vitrea exhalareret, subdito lenissimo igne, partim seleniticam reliquit terram, vitriolici acoris et calcareae terrae solum, partim minutissimas crystallos salinas, candidas potiores, viridescentes paucissimas, oculo armato facile eonspiciendas et distinguendas; istas certe ex connubio acidi vitriolici cum alcalino sale minerali in sal mirabile Glauberianum, has vero ex eodem acido cum moleculis martialibus in verum vitriolum martis commixtas. Quibus ergo omnibus ex tentaminibus aperte liquet, singulis aquarum harum Hirschfeldensium libris rectissime adscribi posse, praeter elementum aqueum et aëreum, terrae purae calcareae, quam et alcalinam dicunt, grana quinque cum vna tertia grani parte; salis alcalini mineralis absolute totidem; salis communis vnum granum cum vna eiusdem tertia parte; terrae denique martialis duo grana.

§. IV.

Vsus earundem medicus.

Ad dictorum ergo elementorum (§. III.) rationes attenti, his fontibus inter alcalino-martiales haud